

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Thalia

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

caelestis gignit, nisi animos? Mv. Imò addit & corpora, sed ipsis animis morigera, perinde quasi gemmeo (k) myrothecio indas opobalsamum. Al. Vbi nam est ea? Mv. En tibi, procul adventat. Al. Video: Deum immortalem, qui fulgor, quæ forma maiestas! Ad hanc quidem altera Venus invenusta est. Mv. Vides quam modesti Cupidines, nequaquam cæci, quemadmodum illi, quibus altera demerent animos mortalium: sed oculatissimi; nec habent insanas faces, sed ignes placidissimos: nec habent plumbeas cuspides, quibus immittunt odium amanti, ac miseros animos amore nō mutuo discernant. Al. Planè matrem referunt. O felicem illam domum, & superis egregiè charam! Ceterum, licetne audire epithalamium carmen, quod illi destinastis? Mv. Imò rogamus, ut libeat audire.

CLIO.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro:
Auspiciis adfint numina dextra bonis.

MELPOMENE.

Contingat illis Turrurum concordia.
Corniculæ vivacitas.

THALIA.

Ille charitate (l) Gracchum Tiberiū præcesserit,
Qui suæ vitam anteposuit coniugis Corneliæ.

EUTERPE.

Illa charitate superet (m) coniugē Admeti Ducis.
Quæ volens mortem mariti morte mutavit suâ.

THERPSICHORE.

Ille non flaret leviori flammâ,

Atta-